

phetiae in duobus sermonibus constant, ita etiam nostra omnis spes in beatae Mariae partu suspensa est; et ideo responde mihi ad singula quae te interrogabo. Quomodo abiiciemus tantas et tales Apostoli voces, quae dicunt: *Cum autem fuit Dei voluntas in nobis, misit Filium suum factum ex muliere.*¹ Et iterum: *Pascha nostrum immolatus est Christus.*² Et quia *Deus et Dominum suscitavit, et nos cum illo suscitabit per virtutem suam*³ [...]

Unde arbitror sufficere haec testimonia ad ostensionem iudicii et resurrectionis et passionis, quibus consequenter et pariter ex Maria partus ostenditur. [...] *Dic mihi illud etiam, o Manichaeae; si ais Christum non esse ex Maria natum, sed apparuisse quidem ut hominem, cum homo non esset, praestante hoc et agente virtute quae in ipso est; dic mihi, super quem Spiritus sanctus sicut columba descendit? Quis est etiam, qui baptizatur a Ioanne?

PG 10, 1515 L. [...]. *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*⁴ dico autem 669 de eo, qui ex Maria factus est homo. Quid enim? Non poteramus et nos multo facilius et latius ista narrare? Sed absit ut a veritate declinemus iota unum, aut unum apicem. Est enim qui de Maria natus est Filius, qui totum hoc quod magnum est voluit perferre certamen, Iesus. Hic est Christus Dei, qui descendit super eum qui de Maria est. [...] Vox Paterna testatur dicens: *Hic est Filius meus dilectus,*⁵ nullus alius portare praevaluit, nisi qui ex Maria natus est, super omnes sanctos, Iesus.

Ps. HEGEMONIUS (saec. IV)

ADVERSUS HAERESSES

PLS III, 144 [...] Aliae rursus multae diversae hereses ebullierunt, quae divinitatem Christi negantes tantummodo confitentur humanitatem eius ex Maria. Ex quibus est Cerinthus, Ebion et nunc Fotinus, qui eorum heresim instauravit. [...] Extrema est heresis Apollinaris, quae quot homines habent tot paene sententias. Necdum enim inter eos decretum est, in quae quasi pro certo et statuto blasphemabunt. 670

*145 Alii dicunt nec sensum nec animam * humanam habuisse dominum

¹ Galat. IV, 4.

² I Cor. V, 7.

³ I Cor. VI, 14.

⁴ Philipp. II, 7.

⁵ Matth. III, 17.

● PG 10, 1483, 1503, 1508, 1513, 1514.

nostrum Iesum Christum. Qui vero audaciores sunt, etiam corpus illius sic de Maria confitentur, ut nihilominus etiam hoc de caelestibus vindicent.¹

[PONTIUS MAXIMUS] (saec. IV)

DE SOLSTITIIS ET AEQUINOCTIIS ²

671 [...] Ex die igitur conceptionis Ioannis octavo kalendas octobris usque octavo kalendas aprilis quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam et salutavit eam dicens: *Pax tecum quae invenisti gratiam apud Deum. Quae audito hoc verbo conturbata est et cogitabat intra semetipsam quae esset haec salutatio; cui dixit angelus: Ne timueris Maria quia invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in saecula et regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria: Et quomodo haec cognoscam cum virum non noverim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nascetur sanctus vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum sermonem tuum.*³ Fuit igitur ut diximus quando haec angelus ad Mariam adnuntiavit octavo kalendas aprilis qui et ipse est dies aequinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detersa caligine mundi lux in mundum adveniebat sicut Ioannes in epistula sua dicit: *Quia tenebrae transierunt et lumen verum iam lucet.*⁴ De quo lumine iterum in evangelio dicit: *Fuit lumen verum quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*⁵ Conceptus est ergo Dominus noster octavo kalendas aprilis mense martio qui est dies paschae passionis Domini et *conceptio-⁵⁶³ nis eius. In qua enim die conceptus est in eadem et passus est. Et ideo Dominus ad Moysen in Exodo praeceptum sacramenti tradens dicit: *Non occides super azima sanguinem immolatorum meorum et immolationis die solemnem paschae. Initia creaturae tuae inferes in domum Dei tui. Non occides inquit agnum in lacte matris suae.*⁶ Haec

PLS
I, 562

¹ CCL IX, 327-328.

² Discrepant Auctores de paternitate huius operis saec. v (cf. PLS I, 557).

³ Lc. I, 28-38.

⁴ I Io. II, 8.

⁵ Io. I, 9.

⁶ Exod. XXXIV, 25 ss.